





Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia  
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
sua à omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem  
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>1</sup>  
W<sup>7</sup>

iz JC

Signat!

~~SSI~~



13  
DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
DUODECIMA,  
*De*  
CORRUPTIBILI  
ET INCORRUPTI-  
BILI, FINITO ET  
INFINITO,

*Quam*

Bono cum DEO

*Sub PRÆSIDIO*

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstädt: Saxonis,

*In*

florentissimâ WITTEBERGENSIUM ACADEMIA

*publico examini subjicit*

ANTONIUS Knoll / Onoldinus Francus.

*In Audit. Philosoph. ad d. 30. Aug.*

*horis matutinis.*



WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.


ANNO M DC XXIII.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







## DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ DUODECIMÆ

Ἑξωδός.



Se fuerunt usitata & omnium Metaphysicorum consensu posita entis affectiones, taliq; etiam methodo & ordine ut plurimum proposita; nunc sequuntur posteriores illa, quibus ens denominatur Incorruptibile vel Corruptibile: Infinitum vel Finitum: Dependens vel Independens: A se esse vel ab alio: Increatum vel Creatum. Quae attributa entis videntur aliquo modo insolentiora, ceu a paucis Metaphysicis cognita aut distincte proposita, indeq; & dubia. Verumtamen omnino tenendum est, atq; adseverandum, quod recensita ista attributa primo sint, meritoq; censeantur Transcendentalia & universalissima, quae non praedicamentalibus & determinatis entium cancellis includantur, sive in aliquo certo genere terminentur, sed quod omnia in universum entia pervagentur, adeoq; totam entis latitudinem exhauriant. Nullum enim ens dari aut cogitari potest, quod non ab alterutro illorum denominetur. Hoc proinde facile constat, quod (quia sunt termini universalissimi & transcendentis) in Metaphysica debeant considerari. Deinde non sine causa numerantur inter affectiones entis disjunctas, cum ipsam entitatis conditionem per se insequantur, & ex ratione essendi proximè resultent, ut in specie ex singulari tractatione innotescet. Nihil itaq; praeter rem rei q; necessitatem facturi sumus, si nunc in ordine disputationum nostrarum Metaphysicarum evolutionem singulorum illorum entis attributorum distincte subjungamus. *Et primo quidem vestigiis Excell. Philos. Theolog. Dn. Jacob. Mart. Praecept. nostri honorandi unice insistentes, praesenti hac in disputatione agamus de Corruptibili & Incorruptibili, itemq; de Infinito & Finito. Quam in rem sequentes cum BONO DEO ponantur Theses.*

A 2

CAPUT I.



C A P U T I.  
DE CORRUPTIBILI & INCOR-  
RUPTIBILI.

I. Non obscure *Corruptibilitas* & *Incorruptibilitas* entis derivari atq; estimari potest ex necessitate & contingentia. Nam necessarium dicit *Immutabilitatem*, quæ de se importat *Incorruptibilitatem*: Similiter contingens dicit *mutabilitatem*, sive *variabilitatem*, quæ, si ratione essendi est, non potest non secum trahere *corruptibilitatem*.

II. Ut ergò omne ens erat vel necessarium vel contingens in ratione essendi: sic etiam omne eas erit vel *Incorruptibile* vel *Corruptibile*.

III. Et inde jam est, quod statim immediatè post doctrinam necessarii & contingentis agi possit de *Corruptibili* & *Incorruptibili*: id quod nos nunc eandem ob causam non immeritò observamus.

IV. Neq; verò est, quod dubites, num illa contemplatio *Corruptibilis*, & *Incorruptibilis* spectet ad primam hanc *Philosophiam*. Putas ad *Physicam* pertinere? Sed non simpliciter id est verum. Hoc quidem conceditur, quod *Physicus* in particulari aliquam consideret *Corruptibilitatem* & *Incorruptibilitatem*. Nam docet, quod corpora quædam sint *corruptibilia*, quædam verò *incorruptibilia*. Verum illa consideratio est nimis angusta, contracta, stricta, & specialis, quæ ad corporis conditionem restringit *corruptibile* vel *incorruptibile*. *Corporis incorruptibilitatem* & *corruptibilitatem* expendit *Physicus*, non verò absolute, abstractè, & in universali istos terminos evolvit. Ergò danda est disciplina alia, quæ de illis universaliter sumptis dispiat. Hæc nequit esse ulla particularium scientiarum, sed universalis sit necessum est. Universalis autem illa, quanam est inter *Philosophicas speculationes*, præter primam hanc *Philosophiam*?

V. Meta-



V. *Metaphysicus ergò tenetur & istos terminos Corruptibilis & Incorruptibilis formaliter & in universali evolvere, ex universali conditione entis. Dico in universali. Non enim ut Physicus determinatè ad certum ens respicit, sed ens quatenus ens: Indeque & terminos universales attendit ratione entis, ut sic sumti. Hinc entis corruptibilitatem vel incorruptibilitatem considerat, non hujus vel illius entis in specie. Et sic absolutè & in ultimâ abstractione inquirat in quidditatem Corruptibilis & Incorruptibilis, & quot modis universaliter illa se habeant ad diversam entis rationem.*

VI. *His suppositis primò placet de Corruptibili disquirere. Corruptibile est ens, cui non repugnat mutari quo ad suum esse: ut describit Combach. Metaphys. cap. 16. Ita scilicet per se denominatur ens per corruptibilitatem, ut habeat potentialitatem ad non esse. In quantum enim ens mutari & quasi deijci potest è statu suæ entitatis, in tantum etiam dicitur, & est corruptibile.*

VII. *Attendendum verò est, quod Corruptibile (ut & Incorruptibile) apud scriptores dicatur duobus modis: uno modo secundum potentiam, alio secundum actum. Illud quidem ex vi vocis, cum vocabula in ILIS soleant impartare potentiam, non actum: Hoc autem ex usu & recepto more loquendi.*

VIII. *Corruptibile secundum potentiam illud dicitur, quod quidem actu non mutatur, nec corrumpitur: Interim potest ab extrinseca quadam vi destrui, adeoque est tale ens, cui non repugnat non-esse. Sed Corruptibile secundum actum dicunt, quod in actuali corruptionis ratione est.*

IX. *Quod attinet Corruptibile secundum potentiam, illud competit omni enti dependenti, omnique in universum creatura, maxime verò compositis & corporibus ex materiâ & formâ constantibus. Et hoc hic potissimum spectatur, ceu affectio entis.*



X. *Corruptibilitas autem ista in rebus oritur, vel ratione principii externi, vel ex principio intrinseco. Hoc modo aliquid est Corruptibile ab intra, sive intrinsecus: Illo priori modo, extrinsecè dicitur aliquod ens Corruptibile.*

XI. *Corruptibile ab intra est, quod in se plura includit, ex quibus est conflatum, adeoq; iterum in eadem resolvi potest. Ab extra Corruptibile dicitur, quod in se quidem non continet principia transmutandi & interitum molientia, tamen ita est affectum, ut ab alia vi externa queat immutari & destrui. Scilicet non est absolutum à causa, licet sit absolutum à subjecto, ut mox constabit fusius.*

XII. *Et hoc est, quod aliàs Corruptibile sumatur vel ratione cause, vel ratione subjecti. Corruptibile ratione cause illud dicitur, quod mutari potest ab agente voluntario, à quo dependet. Ita omnis creatura est Corruptibilis: Ita angeli à Deo possent corrumpi, si Deus vellet. Eleganter de hoc differit Plato in Timæo, (citante Combachio Met. lib. c. 16.) ubi patrem omnium rerum introducit ita loquentem: Dii orti estis ex diis, quorum opifex ego & pater sum, hæc attendite. Que à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vincitum est, solvi potest. Quapropter, quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusq; vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quàm nexus illi, quibus estis tunc, quum gignebamini, colligati.*

XIII. *Corruptibile ratione subjecti dicitur, quod constans subjecto ex pluribus est compositum, in qua iterum resolvi potest, sic omne compositum est Corruptibile. Et hoc potentiam ad corruptionem vel remotam vel propinquam habet.*

XIV. *Corruptibile potentiam remotam illud est, quod quidem in se habet principium corruptionis, cum constet ex materiâ & formâ: Non tamen potest actu corrumpi, nisi prius ad proximam*



proximam reducatur potentiam, & nisi detur agens contrarium, à quo corrumpatur. Sic omne corpus est Corruptibile, actu tamen non omne corrumpitur, cum non semper externum contrarium adsit, quo destruat.

XV. Corruptibile potentia proximâ est, quod non modo materia & forma, sed etiam contrariis qualitatibus est predictum: quomodo omnia mixta sunt corruptibilia, cum proximè queant deduci ad corruptionem, ob illam qualitatum contrarietatem.

XVI. In his tamen rectè notat discrimen aliquod Excellent. noster Præcept. Dn. Jacobus Mart. in prælect. Metaphys. Certum est, inquit, quod per mixtionem contraria qualitates frangantur, atq; sic uniantur, hoc est, ad unum aliquod temperamentum revocentur. Quò itaq; fractio est perfectior, eò etiam unio est fortior. Quò fortior est unio, eò etiam minor facta est qualitatum contrarietas, majorq; temperamenti ex illis orti constantia atq; duratio: Inde jam est, quod mixta quaedam facile, quaedam difficulter resolvantur & corrumpantur: sic Adamas, quia habet excellentius temperamentum, proindeq; præstantiorem formam mixti, quàm quercus, durabilior utiq; est. Quercus verò quia præstantius temperamentum habet homine, eo durabilior est, & sic in cæteris.

XVII. Porrò actualis corruptionis modus est quadruplex. Primus est juxta periodum, quatenus nihil omnino est, quod finitum est, quod certa periodo non desiniatur. Alter modus est ratione Contrarii, qui in mixtis potissimum obtinet, ratione contrariarum qualitatum earum, quæ in ipsis sunt. Tertius modus in viventibus est, ratione absorptionis caloris & humiditatis radicalis. Quartus modus violentiæ est, qualis est is, qui ferro vel laqueo fit.

XVIII. Cæterum Incorruptibile est ens, quod de esse ad non-esse transire nequit, seu quod non potest esse suum mutare cum non esse. Estq; vel simpliciter vel secundum quid tale.

XIX. In-



XIX. *Incorruptibile simpliciter id est, quod à nulla plane potentia potest traduci ad non esse, cum sit omnimodè independens, adeoq; & prorsus immutabile.* Sic solus Deus est Incorruptibilis & immortalis.

XX. *Incorruptibile secundum quid est, quod non constat pluribus, in qua per destructionem queat resolvi.* Ita omne simplex est suo modo Incorruptibile. Sic Angeli dicuntur incorruptibiles.

XXI. *Combachius lib. Metaph. cap. 16. tres Incorruptibilitatis ponit modos. Incorruptibile, inquit, triplici modo dicimus: vel enim hoc, quod omni ex parte, tam à causa quam à subjecto est absolutum, & est unus Deus. Vel illud, quod, etsi non sit à causa absolutum, à qua pendet, tamen gratia primæ causæ hoc habet: Ut intelligentiæ, nutu creatæ, nutu dissolvuntur, ita tamen creatæ, ut placeat primæ causæ cas nunquam futuras dissolutas. Tertius modus incorruptibilis is est, quod etsi nec à subjecto nec à causa sit absolutum, contrarium tamen non habeat, à quo sub mutationem veniat, quomodo celum incorruptibile dicimus, ratione sempiternæ connexionis formæ ejus cum materia, quatenus non habet aliquod contrarium, à quo hæc connexio dissolvatur.*

## C A P U T II.

### DE FINITO & INFINITO.

XXII. Hæc de primo capite præsentis disputationis, nunc progredimur ad alterum, quod est de Infinito & Finito, quæ itidem omne ens per se denominant, modo tamen disjuncto, ita ut omne, quod esse habet, sit vel Finitum, vel Infinitum.

XXIII. *Finitum quidem illud dicitur, quod certis limitibus circumscribitur, non ratione quantitatis tantum, ac si illud saltem sit finitum, quod certas quasdam dimensiones habet, sed sim-*



*sed simpliciter ratione essentia, adeò ut in genere illud dicatur finitum, quod in eam perfectionem non adsurgit, quin extra id ipsum semper aliquid accipi possit.*

XXIV. Quod ut rectè intelligatur, fufius evolvenda erit, tum vox Finiti, tum ejus quiditas, & ratio definitiva. Quoad vocem notetur, quod hoc loco *Finitum non sumatur pro causato cause finalis*: sic enim non apponitur infinito, sed fini. 2. *neq; accipiatur pro quovis uno transcendentali*: Sicuti omne ens (etiam Deus optimus maximus) dicitur finitum, propterea quod ita quodvis sit unitate transcendentali determinatum. *Sed 3. finitum hic sumitur pro tali ente, quod est restricta definita, & per definitos terminos limitata essentia, quod 3. habet essentiam possibilem non necessitate summa actua- lem, certosq; fines perfectionis, durationis, presentia, & virtutis obtinet.*

XXV. Quoad realem Finiti definitionem in confesso est, quod accuratè loquendo nequeat definiri, cum sit terminus transcendens. Interim non in scitè describitur hoc modo: *Finitum est ens quatenus id certis inclusum est limitibus & terminis, extra quos vi sua nature non excurrit, ita ut neq; supra eos per statum essentia sue adsurgat, neq; infra eos per naturam propriam descendat.*

XXVI. Hanc Finitudinem imprimis querimus in essentia, post in essentia affectionibus, sive in illis, quae essentiam finitam concomitari solent. Necessariò enim proprietates essentiam insequentes finitæ sunt, quando ipsa essentia est finita, quippe quæ ab ipsa essentia dependent.

XXVII. Manifestum verò est, quod omne dependens certam & determinatam habeat suæ entitatis mensuram, proindeq; cum quolibet aliorum entium in certâ quadam proportione conveniat, eò quod non exhaurit omnem entis perfectionem.

B

XXIIX.





XXIIIX. Ita ergo omnia Finita dicimus, quæ sunt ab alio, seu quæ sunt creata, vel, ut uno verbo omnia comprehendam; *omne ens aliud à primo ente, nimirum aliud à Deo, est finitum.* Ut enim omnia infra Deum sunt à Deo, sic quoque ab eodem sunt determinata, limitata & finita, ut præter ipsum unum infinitum, prorsus detur nullum. Inde liquidò infertur, quod omnes proprietates siue affectiones creaturarum, seu rerum à primo ente dependentium, sint finitæ, & certis finibus inclusæ atq; circumscriptæ.

XXIX. Quæ omnia ut distinctè intelligantur, ordine singula *cum Clariss. Scheibl.* ita proponimus. Primò *Finitum ratione essentia est, quod habet fines essentia.* Quod ipsum *bifariam* potest intelligi: *Vel quod illam essentiam aliquando non habuit, antequam scilicet creatum est: Vel quod aliquando non erit vel poterit non esse.* Mundus aliquando creatus est, & quidem ut scriptura docet, in tempore creavit DEUS omnia. Ergo ante creationem non fuerunt, & ita aliquando esse coeperunt. Similiter multa corrumpuntur, & ita rursus aliquando non sunt, ista proinde omnia sunt finita ratione sui esse.

XXX. Quod si dicatur contingens hoc esse, ut aliquod in tempore creetur, cum etiam ab æterno possit effectus à Deo produci; Attendendum erit, quod etiam omne finitum intrinsecè habeat fines essentia, quia aliquando potuit non-esse. Scilicet esse creaturæ non implicat primò actualitatem, sicut esse Dei, cui repugnat esse in potentia; sed omnis creatura est ens potentiale, quia dependens est essentialiter & ex sua natura, *confer Excell. Dn. Jacob. Mart. sect. 1. part. Metaph. lib. 2.* Idem judicandum est de corruptione, quæ licet non semper sit actualis in ente finito, esse tamen potest, quemadmodum è supra dictis constitit.

XXXI. *Secundò Finitum habet fines perfectionum, in quantum ille & poterunt non esse, & potuerunt non esse.*  
Item



Item *Finitum* habet *finitas* perfectiones, quia non sunt summe, sed possunt dari eminentiores. Exempli gratia, hominis maxima perfectio est intelligere posse. At hæc tamen non absolute est summa perfectio, quia illa humana intellectio est limitata, neque tanta est, ut possit etiam cognoscere cogitationes humanas, & quo minus erret quandoque, & non attingat penitissime essentias rerum. Et ita est in aliis.

XXXII. *Tertio Finitum habet fines in virtute & operatione.* Non enim potest quodvis agere, sic homo nequit cursum solis inhibere aut movere terram & multa alia. Imò manendo intra latitudinem objectorum possibilium, sæpè non potest assequi finem suum propter dependentiam, quam in actione sua habet à prima causa. Ita ignis non urit, etiamsi propensissimus ex vi suæ naturæ ad urendum, per defectum concursus divini. Sic ob multa alia impedimenta finitum agens sæpè nequit, quod intendit, obtinere.

XXXIII. *Quarto Finitum habet fines ratione durationis, eo quod non est æternum, sed vel in ævo, ut angeli, vel in tempore, ut corpora.*

XXXIV. *Quinto Finitum habet fines presentia. Determinatum enim occupat spatium intra quod est, & non extra illud. Et ita naturaliter, nec in pluribus, nec in omnibus est locis, Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 13.*

XXXV. Sed longè aliter se habet Infinitum. Hoc enim planè caret omnibus finibus & terminis. Unde *Infinitum* dicitur id, quod est extra finiri ab alio, propterea quod à nullo alio habet dependentiam, & sic à nullo alio est: quomodo solus Deus propriè est infinitus.

XXXVI. Aliàs vox infiniti ambigua est, & diversimodè sumitur. *Aristoteles lib. 3. Phys. cap. 4. text. 44.* quinque recenset



censet significationes *Infiniti*, quas *Magirus* in sua *Physiologia* lib. 1. cap. 7. ita dilucidius proponit. Primum *Infinitem*, valde improprie id dicitur, quod transitum nullum admittit, propterea quia non sit idoneum ad indivisionem sustinendam, hoc est, quod nec actu nec potentia divisibile est. Sic punctum dicitur infinitum, quia prorsus nequit dividi, ut accipiat fines. Deinde *Infinitem* vocatur, quod dicitur *ἄπειρον* ἢ *ἄτερον*, transitum aut extremum quidem habet, sed ita, ut ad finem ejus nunquam perveniatur. Sic linea in infinitum porrecta (si daretur) dicitur infinita. Quod hoc modo est infinitum, id quantum est, & longitudinem in actu habet: Et hoc sensu quaeritur, an mundus sit infinitus, de qua vide *Aristot.* d. 1. & lib. 1. de celo cap. 5. Tertio *Infinitem* appellatur, quod transitum & finem habet, sed vix ac difficulter pervenitur ad ejus finem. Sic dicimus, infiniti laboris esse laudare *Hierusalem*. Quarto *Infinitem* vocatur, quod ex sua natura terminum habet, sed ad quem ob externum obstaculum pervenire nequit. Sic maris profunditas est infinita. Denique *Infinitem* appellatur, cui semper fieri potest accessio, quantumvis sit abstractum. Sic magnitudo & numerus in infinitum quasi possunt attendi ac dilatari.

XXXVII. Hinc *Infinitem* faciunt duplex, unum actu, alterum potentia. Actu *Infinitem* est, quod actu caret certis terminis ac finibus. Sed *Infinitem* in potentia id dicitur, quod actu quidem suis consistit terminatum finibus: interim ita se habet, ut ipsi semper in infinitum possit fieri oblatio vel additio, ita ut si continuaretur talis additio vel oblatio, impossibile sit venire ad aliquem finem.

XXXIX. Unde etiam est, quod in genere & latiori sensu *Infinitem* describant ex opposito. Finiti hoc modo: *Infinitem* est, quod non habet limites & terminos, quibus circumscribatur. *Combach.* lib. *Metaph.* cap. 16. Item ex effectu se u con-



seu conſequentē, quod in ſuo ambitu comprehendere non poſſumus, *Scal. Exerc. 6. ſect. 2.*

XXXIX. Ceterum *inſinitum in potentia* multis modis dicunt. 1. *ſecundum non entitatem.* 2. *ſecundum imperfectionem.* 3. *juxta durationem.* 4. *reſpectu diſcretionis.* 5. *reſpectu virtutis & vigoris*, ut notat *Combach. lib. Metaph. c. 6.*

XL. *Inſinitum juxta non-entitatem eſt pars contradictionis in inſinitum*, quippe quæ in inſinitum dicit omne ens ſecundum indiſtinctum intellectum, præter hoc ens, quod uti loquuntur, *inſinitatur*, hoc eſt, cui particula *NON* additur. Exempli gratia: *Homo non-Homo*, ubi terminus non-homo inſinitatur, quia fertur ſupra omnem terminum, ſive ſit poſitivus, ſive privativus, ſive fictus, ſive negativus, & ſic in inſinitum præter illum terminum, qui eſt homo. Et hinc eſt, quod *Ariſtoteles* pro poſitiones ejuſmodi terminis conſtantes nominavit *Inſinitas*, qualis eſt hæc: *Homo eſt non-lapis*, hoc eſt, lapis poteſt cogitari indeterminate & ſic infinite præter id, quod poſitum eſt, *hominem*.

XLI. *Inſinitum juxta imperfectionem dicitur illud, quod eſt perfectibile ab inſinitis terminis*, dicitur aliàs *inſinitum per privationem ſpecificæ determinationis*: item *ſecundum indeterminabilitatem*, item *per indeterminationem ad recipiendum*. Sic appetitus materiæ primæ reſpectu omnium formarum eſt *Inſinitus*: quatenus nimirum materiæ univerſalis potentia non eſt determinata & coarctata ad certum finitumve formarum numerum, ſed capax eſt omnis actus, qui ad eam perficiendam inducitur.

XLII. *Inſinitum juxta durationem eſt, cujuſ ſucceſſionis ſive prioris ſive poſterioris ratio ſub numerum venire non poteſt*: *Eſt q̄ duplex.* Primò enim dicitur *Inſinitum à parte poſt*, quomodo & aliquid *Inſinitum eſt, quod in tempore eſt, quatenus tempori non repugnat, à parte poſt extendi aut multiplicari in inſinitum uſq̄.* Licet enim qualibet pars temporis fini-



ta sit, tamen temporis in uniuersum accepti est quædam, non repugnantia succedere sibi per infinita instantanea ad infinitam multiplicationem. Sic Angeli & anima hominis durant in infinitum: Initium quidem habent, fine uero carent.

XLIII. Deinde *Infinittum* *duratione* dicitur à parte post & ante, siue superius & inferius: Et ita solus Deus est infinitus. Licet uero in Deum non cadat tempus, sed æternitas, cuius mensura secundum successionem nulla est, quippe quæ ante & post, & sic omnem successionem excludit: illa tamen æternitas quoad nos nequit concipi, nisi secundum coexistentiam temporis, ut è tanto temporis tantum æternitatis quasi fluxisse dicamus, & per præcisionem temporis ab ante & post æternitatem sub conceptum reuocemus.

XLIV. Quod idem quoq; de æuo à nobis sit, nisi quod æuum tantum faciamus æternum à parte post, non uero ab ante. Æuo enim determinamus terminos principii excludentes terminos finis.

XLV. Quomodo *Infinittum* secundum discretionem dicitur uel in Continuo uel in discreto, uide sis in *Exerc. Metaph. Excell. Phil. Theol. Dn. Jacob. Martini ex. 11.*

XLVI. *Infinittum* in uirtute, siue uirtutis, uigoris & perfectionis est, quod non habet fines perfectionum & uirium: Dicitur etiam Virtuale & formale *Infinittum*: Estq; duplex, uel enim simpliciter ita dicitur, uel secundum quid.

XLVII. *Infinittum* simpliciter est, quod in se continet omnes gradus perfectionum: ut Deus est infinitus uirtute, quatenus nihil est è possibilibus, quod sub eius uirtutem non cadat. *Que* *Infinittas* uirtutis diuina differt aliquo modo ab infinito in actu, quatenus infinitum in actu proprie essentiam respicit, denominatq;, prout illa omnes perfectiones actu in se tenet: Sed *Infinittum* uirtutis dicitur, quatenus consideratur ea ipsa essentia non secundum momentum primum, siue actum primum,



nam, vel secundum momentum sive actum secundum, hoc est, quatenus relativa est, & respicit omnia possibilis, sive que fieri possunt, ut docet Excell. Dn. Jacob. Mart. in prelect. Metaph. l. i. cap. 16. & Combach. Metaph. c. 16.

XLIX. *Infinium virtutis secundum quid, est vigor illorum, que magis & minus habere possunt. Quod rursus dividitur in Intensivum & Extensivum. Infinitas Intensiva dicitur, que in infinitum intendi potest: sic vis caloris ex additione quarumcunq; partium ignis in infinitum intendi posse videtur. Scalig. exerc. 10.: sic gravitas peccati mortalis videtur infinita intensive. Infinitas Extensiva est, qua sese extendit non ad tot, sed semper in infinitum ad plura & plura: sic calor solis se extendit in infinitum semper ad plura & plura, si vel in infinitum multiplicarentur animantia.*

XLIX. Hæc ita variè ponunt autores de Infinito, & necessario in Metaphysicis proponuntur. Interim si perspicuitati simul ac brevitati studere velis, non in scite cum Domino Scheiblero simpliciter posses rem totam ita comprehendere. *Infinium est, quod caret finibus essentia, perfectionis, virtutis, operationis & presentia.* Unde etiam sumitur Infinitum vel ratione essentia, vel ratione perfectionis & operationis, vel ratione durationis, vel ratione presentia.

L. *In primis Infinitum caret finibus entitatis cum à parte ante, tum à parte post.* Etenim repugnat infinito aliquando non fuisse. Ergo semper fuit, & non potuit non semper fuisse. Ergò ratione istius esse non habet initium, & ita à parte ante caret omni fine seu termino. Similiter repugnat infinito aliquando non esse, vel posse non esse. Sinamque posset deponi ab entitate sua dandum esset aliquod valentius ipso, à quo corrumpetur. At repugnat infinito esse aliquid valentius. Ergò infinitum non poterit ab alio destrui. Ergò à parte post non habere potest finem sui esse. Et sic carebit omni fine entitatis.

L I. Max



L I. *Mox ex infinita essentia non possunt non proprietates infinita sequi: Ut omne infinitum ratione essentiae sit etiam infinitum ratione suarum perfectionum, virtutum, operationum, durationis & praesentiae, ita ut omnes in se contineat perfectiones & virtutes: ut omnia possit operari & facere, quae velit, ut in aeternum duret, utq; tandem ubiq; omnibus sit praesens: Sic Deus est infinitus in omnibus. Haec de Finito & Infinito.*

L II. *Ultima vice adhuc notari potest, quod nonnulli exinde deducant Locale & Illocale. Putant enim ex Infinitate rei Illocalitatem, & ex Finitate promanare Localitatem. Unde etiam ex Bonaventura notant, quod locus triplicem habeat comparationem ad Locatum. 1. in ratione continentis. 2. mensurantis. 3. Conservantis. Juxta quam triplicem habitudinem ajunt, substantias finitas, corporales & corruptibiles esse in loco. Nam quia finitae sunt, in loco continente sunt: quia corporales, in loco mensurante, quia corruptibiles, in loco conservante.*

L III. *Et quidem de Finitis corporeis hoc planum est, & a nemine negari potest. Sed de Incorporeis finitis dubium est. Putant illi & his obtinere illam localitatem. Dicunt enim, quod res aliqua duobus modis dicatur esse Localis; vel quia recipit dimensionem, & facit distantiam, vel quia loci termino definitur. Exinde concludunt, quod prior ratio Localitatis in solas corporeas res finitas cadat. Posterior vero conveniat etiam incorporeis. Haec etsi sunt sine distantia, determinatae tamen sunt ad hic & illic.*

L IV. *Verum rectius hic negamus cum nostris Praeceptoribus, quod proprie Localitas spiritibus competat. Licet finiti sint & determinati ad nunc & hic sive ubi, adeoq; ita ratione loci, cui adsunt, a nobis alicubi esse definiantur: Attamen non sunt ullo modo ibi tanquam in loco. Etenim neq; continentur a loco, neq; contineri possunt. Hoc scilicet fit ratione  
quanti-*



*quantitatis, quæ in spiritibus est nulla. Quod si alicubi esse dicantur tanquam in loco, id abusive admodum fit & improprie.*

L V. Proinde falsum omnino esse censetur, quod ex Infinitate fluat Illocalitas, & ex Finitate Localitas: cum quædam finita sint Illocalia. *Nos ergo statuimus, quod Illocalitas fluat ex non-quantum, & Localitas ex Quanto cum respectu ad aliud quantum continens.*

L VI. Hic ergo respectus quando tollitur, licet omne corpus propter quantitatem sit Locabile, non tamen in loco est, nec esse potest. Haftenus fuere theses.

### *Usus & Abusus.*

**E**T hujus disputationis usus non potest esse obscurus, probatissimum in iis, quæ traduntur de Infinito & Finito. Hæc enim non modo nos deducunt in aliqualem cognitionem Dei nostri gloriosi, tanquam summa & incomprehensibili majestate præditi, indeque ipsum distinguunt ab omnibus creaturis: sed etiam ad gravissimas & abstrusissimas disputationes, partim Theologicas, partim Philosophicas, eò melius & dexterius dijudicandas insigniter conducunt. Aristoteles prolixè disputat in lib. *de Æt. inæg. c. 3. c. 5. 6. & c.* contra veterum opiniones de Infinito. Itemq; lib. 1. de cælo c. 5. 6. & seq. Num detur infinitum tempus & corpus, itemq; num mundus sit infinitus. Quæ omnia quam facillimè sine omni jactura veritatis decidentur, si presentis disputationis termini rectè fuerint intellecti & præcogniti. Similiter quando constat ex hac doctrina, quod omnis creatura, sive omne dependens sit Finitum, & omnia illa finita dependeant à Deo, multa aliàs difficilia exinde evadent manifestissima, utpote quæ de potentia & scientia angelorum agitantur. *An Cæcædæmones omnia possint? An angeli queant creare, vel saltem ut concussæ concurrere ad creationem? & quæ sunt multa alia. Quis è dictis non intelligit, ejusmodi quæ sita omnia esse neganda?*

C

Etenim



Etenim exinde notum erit, quod ens finitum ratione essentiae, necessario etiam habeat finitatem potentiarum, scientiarum & aliarum proprietatum. Et solus Deus, qui infinitus est in essentia, sit infinitae potentiae, operationis, durationisque &c.

Porrò in Theologicis disputationibus immensum commodat explicatio Finiti & Infiniti. Ponitur & confirmatur ibi, quod Finitum & infinitum sint affectio entis & essentiam ipsam insequantur. Fortè hoc levè putatur & sterile, sed ecce quantum profit *in summo mysterio Trinitatis*. Credimus tres esse personas divinitatis. Quid hic moliuntur haeretici? Inde contra nos absurdum hoc inferre allaborant, nos ponere tria infinita. Sic autem objectant. *Personae divinitatis aut sunt finite aut infinitae: Atqui non sunt finite; quia in Deo nihil finitum esse potest. Ergo sunt infinitae. Si hoc, erunt tria infinita, cum tres sint personae S. S. & ad eos.* Verùm hæc *διωλέγη* esse & vana sophismata, è dictis facile constat. Primò enim inter omnes certum est, non posse dari plura infinita, ut in axiom. 8. confirmabitur. Deinde verò rectè respondent alii, quod personae divinitatis, prout sunt ex parte rei, sive prout sunt in re ipsa, in Deo sint ipsa essentia divina, ita ut omnes tres personae identificentur ad divinam essentiam, quæ est una eademque numero essentia in singulis personis. Hinc ergò ob tres personas non sequentur tria infinita, sed unum saltem Infinitum erit: quippe saltem unum sunt ens, & unius entis infiniti tres relationes personales. Quod ipsum ex eo robur maximum habebit, si urgetur è dictis, quod illa divisio immediata in Infinitum & Finitum, sit entis, ita ut ens illud, quod revera ens aliquod est certum & peculiare, sit vel Infinitum vel Finitum. Non verò sit divisio modorum entis. Jam ergò manifestissimum erit, quàm subdolè in data objectione agant Photiniani, dum ex tribus personalitatibus unius entis infiniti

(vel



(vel ut alii loquuntur) ex tribus modis subsistendi personabilibus colligere satagunt tria infinita. Nos ergo ita urgemus hæreticos.

*Quæcumq; sunt essentialiter unum ens infinitum, illa non introducunt tria infinita.*

*Atqui tres personæ divinitatis sunt essentialiter unum ens infinitum.*

*Ergo tres personæ divinitatis non introducunt tria infinita.*

Major est rata, quia unum quatenus unum, non potest esse multum. Ergo neq; tria. Deinde si maximè aliquo modo distinguantur ab uno, ut ita sint vel plures modi vel plura attributa unius infiniti, non tamen inde multiplicatur Infinitas, cum semper entitas maneat una. E.g. Non possunt negare Photiniani, quod uni Deo varia & plura conveniant attributa, utpote, quod sit justus, verax, omnipotens, &c. Si ex his vellet quis inferre: Sunt plura attributa Dei (nimirum justitia, veracitas, omnipotentia &c.) Ergo sunt plura infinita: Stolidus sanè is esset. Sunt enim unius entis infiniti attributa, quæ in re unum omninò sunt. Similiter stolidum est, quando infertur: Sunt tres personæ. Ergo tria infinita; quia & istæ personæ sunt unius entis infiniti personales characteres, qui in re ipsa sive in essentia divina sunt unum. Minor autem à Theologis probatur, quod nimirum tres personæ divinitatis sint una essentia Dei. *τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ θεῷ, ὁ πατήρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἕτοι. οἱ τρεῖς ἐν εἰσι, docet Apostolus Johan 1. cap. 5. v. 7.*

Porro discursum istum Photinianum intimius, si licet, intueamur. Ita erat: *Personæ aut sunt finite aut infinite: Non illud.* Ergo hoc. Respondetur ad antecedens 1. *ex habitu Metaphysices ita corrigendo:* personæ divinitatis aut sunt finiti entis, aut infiniti. Et sic posterius adumitur, quod quia saltem unum est, adhuc manet unum infinitum. 2. *Quod juxta præcisionem mentis neutrum sint.*



Etenim divisio entis in Infinitum & Finitum non complectitur entia secundum omnes status, quos in mente habent post varias abstractiones, sed res ipsas, prout ex natura rei secundum statum objectivum se habent, in ipsa natura rerum. E. g. Ens quatenus Ens universalissimè sumtum, quando à mente ultimato abstrahitur, sanè neque Infinitum est, neq; Finitum: sed præscindit ab utroq; , dicitque naturam, quæ in utroq; tam finito quàm infinito esse potest. Non ergo debemus de Finitate vel Infinitate conceptus judicare, prout in ultima abstractione habetur, sed ex statu suo objectivo, quem in natura rerum extra præcisionem mentis habet. Et sic personæ divinitatis sunt ens unum infinitum, licet per abstractionem forte considerari queant, prout sint non-infinitæ. Hinc 3. *ex habitu Logice respondetur*, addendo medium per Infinitationem termini, quod nimirum personæ divinitatis sint Non-Infinitæ, quemadmodum aliàs Logici terminos Infinitantes rectè usurpant. Qua de re in *Log. ex lib. ωδ τῆς ἐπιπέρας*. Hæc contra Photinianos aliquomodo prolixius ex hac doctrina Infiniti adferre voluimus, ut partim constet usus Metaphysicæ uberior, partim in genuina applicatione termini, *Infiniti*, confirmemur, partim ut illa vana sophismata facilius eludantur, utque ita veritas semper sibi constet, nec quicquam ebuccinet Philosophia contra Theologiæ mysteria.

Præterea in *articulo de persona Christi & Communicatione Idiomatum*, non minus prodest præsens disputatio. Credimus juxta orthodoxiam fidei, quod Deus sit homo, & homo (Christus) sit Deus. Item, quod carni Christi communicata sint idiomata divinitatis. Item, *quod Christus per mortem suam satisfecerit pro omnibus totius mundi peccatis*, ita ut valor meritorum Christi sit infinitus extensivè & intensivè. Extensivè quidem, quod se extendat super omnes peccatores, etiamsi in infinitum multiplicarentur: Intensivè  
verò



verò, quia eius efficacia infinita est, quippe satisfaciens in-  
finitæ justitiæ divinæ. Hæc fidei nostræ capita variè ab ad-  
versariis impugnantur, etiam ex hac ipsa doctrina Infiniti  
& Finiti: Sed ex eodem, si rectè percipitur, facile iterum  
omnia confutantur. Semper enim depravant & malè ap-  
plicant illa principia, quæ loquuntur de Finito & Infinito.  
Dicunt Calviniani, *Finitum non est capax Infiniti. Ergo car-  
ni Christi seu finitæ, non est communicata majestas divina,  
quæ est infinita.* Verum adulterina est applicatio. Loqui-  
tur illud commune dictærium de capacitate comprehensivæ  
& quidem passivæ, ut in quæst. ostendetur, illi inde omnem  
negant communionem, quod admodum abusivè & perpe-  
ram fit. *Licet finita caro Christi non possit in se comprehende-  
re divinam naturam, potest tamen capi ab illa, scilicet per unio-  
nem hypostaticam, indeq; & ipsi dare potest divinitas unita  
per communionem sua propria idiomata.* Dicunt Photiniani:  
*Finiti ad infinitum nulla datur proportio. Ergo mors Christi  
finita non potuit satisfacere pro infinitis peccatis mundi.* Ve-  
rum & hi idem committunt vitium. *Negatur proportio uni-  
voca & essentialis finiti ad infinitum:* Photiniani exinde om-  
nem volunt negari. Enormiter ergo peccant in istud  
commune principium Metaphysicorum. *Adde, quod mors  
Christi fuerit quidem finita quoad tempus & durationem: Infi-  
nita tamen est ratione efficaciæ, quia non nudus homo, sed homo  
Deus, nempe Christus Ἰησοῦς Θεός est mortuus pro omnibus pec-  
catis mundi.* Sed ista omnia & similia nunc relinquamus.

Cæterum nec doctrina de Corruptibili & Incorrupti-  
bili sua caret utilitate. *In Physicis* multum commodabit,  
quando disputatur de corruptione corporum naturalium.  
*In pneumatologia* ostendet, quomodo angeli sint incorru-  
ptibiles intrinsicè, non verò extrinsicè: *Item, quomodo so-  
lus Deus sit absolutè & ἀπλῶς incorruptibilis & immortalis &c.*  
Deniq; de abusu breviter. *Abutuntur hac doctrina omnes ii,*



qui exinde perperam concludunt ad mysteria fidei neganda, ut è dictis constare poterit de Calvinianis & Photinianis. Abutuntur illi hisce terminis, qui ex finito deducunt Localitatem, adeoque putant omne ens finitum debere esse in loco. Hoc enim falsum esse, vel è thesibus constat. Malè insuper ex hoc localitatem faciunt affectionem perpetuam & incomparabilem non modo corporis, sed etiam Spiritus. Retius nostri Præceptores ostendunt, quod Localitas saltem si conditionalis quaedam corporum affectio, nempe quatenus cum alio corpore simul sunt. Qua de re consulere potest, qui vult, Excell. Theol. Philos. Dn. Jac. Martin. in lib. de Loca. Hæc hac vice à nobis dicta sufficiant.

#### A X I O M A T A.

1. *Omne dependens corruptibile est, si vel maxime nullam habeat materiam.* Scal. ex. 307. §. 20. scilicet extrinsecè, cum non sit absolutum à causa, ut sit absolutum à subjecto & à termino.

2. *Suâ naturâ omnia, præter unum, sunt Corruptibilia.* Scal. ibid. Omne quod est, aut est primum principium, aut à primo principio. Unum est principium: alia dependent igitur. Ergo concludit, quod illa omnia sint corruptibilia. Scilicet omne dependens mutari potest ab eo, à quo pendet. Ergo ipsæ mentes quoque immateriales à primi nutu deponi possunt ab essentia, in qua sunt ab ipso constitutæ. Si enim non possent, haberent in se aliud principium resistendi illius infinitati, ut ibidem colligit Scaliger.

3. *Incorruptibile simpliciter est, quod semper est: Arist. 1. de cælo. t. 12.* Intellige, quod ita semper est, ut non possit non per suam naturam semper esse. Deinde ab intra simpliciter est Incorruptibile, quod nunquam resolvitur, & ita in æternum est de se, semperque durat.

4. In-



4. *Incorruptibilia in suo esse sunt perpetua per naturam.*  
*Albert. Mag. in 2. de celo. tract. cap. 7.* Ideoq; habent in se-  
ipsis esse divinum nobilius omni esse corruptibili. Loqui-  
tur de Incorruptibilibus *na rē n*, si dicitis: Illa enim plura  
sunt, quam unum, uti notum est ex thesibus.

5. *Quae sunt alia entia à primo ente, finita esse necessum  
est. Scalig. exerc. 359. sect. 3.* qui dependent à primo: Confer  
ipsum ibid.

6. *Omne finitum ab alio pendet.* Scalig. exerc. 77: sect. 5.  
perfectò finiri est pati. Patens autem quiddam posterius est  
alio quopiam. Nullum finitum igitur primum.

7. *Finiti potentia non est infinita.* Sic è dictis innotuit,  
quia ut se habet à reia rei, sic etiam necessario se habent  
ejus proprietates. Ergò si illa est limitata & restricta, etiam  
tales erunt ejus adfectiones & potentia.

8. *Duo infinita ne veunt esse neq; in natura, neq; extra na-  
turam. Scal. ex. 359. s. 3.* Essent enim duo principia prima.  
Et merito negatur plura posse esse infinita prater unum.  
Nam infinitum Ens habet etiam infinitam perfectionem,  
seu est ens perfectissimum. At plura entia tale quid esse non  
possunt. Ponamus v.g. duo infinita, A, B. Hic igitur si A est  
infinitum, tum habebit omnem summam perfectionem,  
adeoq; includet etiam perfectionem illam omnem, quam  
habet B. Si namq; non habet omnem illam perfectionem,  
statim per defectum illius perfectionis relinquitur imperfe-  
ctum adeoq; finitum. At verò si includit A omnem perfe-  
ctionem & B; quomodo adhuc distinguetur B ab A? Sa-  
ne nihil relinquitur in eo, quod propter infinitatem & A  
non includatur in A. Si jam B nihil plane obtinet præ A,  
nequaquam certe erit distinctum ab A, & sic tandem relin-  
quitur unum infinitum.

9. *Infiniti mensura nulla, Scal. ex. 359. s. 3.* ita patet. Si namq;  
mensuraretur, mo: finiretur, & sic non esset infinitum.

QUAE.



## Q U Æ S T I O N E S.

### I.

#### *An Finitum sit capax Infiniti?*

Aliàs axioma est factum & vulgare in scholis eruditorum: *Finitum non est capax infinti.* Quo dum multi abutuntur, eruenda venit quaestio praesens. Itaq; sic puto. Finitum non est capax infinti *activè*, benè tamen, *passivè*, id est, *non potest ullo modo efficere, ut per suas vires sibi acquirat infinitatem aliquam, & ita sit capax infinti propter suam efficaciam.* Hoc impossibile esse libenter agnoscimus, cum ad hoc requiratur omninò potentia infinita, quam finitum non habere palam est. At verò *anne ab alio dante infinitatem accipere queat*, hoc est quod dubium est. Ego quidem statuo, quod *omninò finitum ab alio dante accipere possit infinitatem*: Ibi namq; non tam respiciendum est ad *accipiens finitum*, quod purè passivè tum se habet, quàm ad *dantem*, qui *communicare vult infinitatem illi*, quod per se est finitum & finitæ potentia. Hic jam ajo, quod *si is, qui dare vult, est infinite potentia, tum omninò finitum sit capax infinti*; non quidem ac si tum à se finitum haberet idoneitatem recipiendi infinitum, sed quod *dans infinitum infinità sapientià modoq; regulari & imperferibili possit efficere, ut finitum fiat commodum infinti receptaculum.* Quemadmodum legimus Coloss. 2. quod in Christo κατοικῆσαι πάντοτε τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Breviter. Finitum non est capax infinti, essentialiter sive naturaliter aut inhæsiivè: Benè tamen capax esse potest communicativè & denominativè per unionem & communicationem supernaturalem, uti hoc ipsum Theologi fusius demonstrant.

### II.

#### *An Finiti ad Infinitum nulla sit proportio?*

Simpliciter ita non est. Datur enim *convenientia realis inter finitum & infinitum*: quippe utrumq; est ens reale, & revera esse habet. Datur etiam *non-una proportio inter Deum & creaturas* uti alibi disputant alii. Quod autem attinet quaestionem, dicunt quidam *quoad proportionem Mathematicam*, quæ spectatur in rebus infinite secundum quantitatem distantibus, non esse proportionem finiti ad infinitum. Nos uno quasi verbo dicimus: Finiti ad infinitum nulla datur proportio scilicet essentialis & univoca, benè tamen analogica & subordinationis.

F I N I S.



AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle  
003 357 104


3











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



13

TIONUM  
SICARUM

CIMA,

PTIBILI

RRUPTI-

VITO ET

VITO,

n DEO

SIDIO

S SCHARFII

: Saxonis,

GENSIIUM ACADEMIA

ni subjicit

/ Onoldinus Francus.

b. ad d. 30. Aug.

tutinis.

ERGÆ

RISTIANI THAM,

ypogr.

C XXIII.